

tum , aut saltem non omnes , qui Brutii essent , Lictores erant . Et si non omnes , cur non aliis adscribitur actio illa , qui aliarum nationum erant . Similiter si milites , præter Lictores , aut si milites cum lictoribus , nefario sceleri astiterunt ; aut nulli erant Brutii inter milites illos , aut non omnes Brutii erant . Et si non omnes , quare solos Brutios ministros facinoris volunt ?

Attamen hic afferre non pigeat , varias Scriptorum opiniones , de natione Tortorum Christi , sive milites illi fuerint , sive Lictores ; & præcipue Centurionis illius , qui militibus præcedebat . Sancti Patres plures , Scriptores autem ecclesiastici plurimi , scribunt , Lictores , qui Christum vel flagellarunt , vel cruci affixerunt , Romanos fuisse . Apud Maldonatum in Matth. 27. num. 47. citantur S. Hieronymus , Beda , Euthymius &c. Apud Cornelium a Lapide semper Romanos milites invenimus ; & non diversimode apud Dionysium Carthusianum in Matth. ar. 42. & 44. Gretserum , Joannem Tamayum , in martyrologio Hispano tom. 5. fol. 336. Sive ergo milites , sive lictores , tortores fuerint , sive utrique ; æque apud Scriptores istos , Romanos fuisse , deprehendimus .

Lucius Dexter , vel quisquis alias sit Auctor operis illius , quod Lucii nomen in fronte ostendit , in chronicis ad annum Christi 34. Centurionem , quem C. Oppium appellat ; vocat quoque Romanum civem , quem etiam nativitate Hispanum fuisse scribit . Ex quo inferimus , quod fortassis milites illi , sive lictores , Romani dicebantur , quia missi in provinciam a Romano Imperatore fuerant ; vel quia in Romano Exercitu erant ; vel quia Romanæ Civitatis honore potiebantur . En Lucii verba : Floret per id tempus in Hispania